

hominis. Ex illo ergo se ostendens veram carnem portare, dicit : « Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti? » Non illum dimisit Deus. Si te non dimittit credentem in se, Christum dimitteret Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus? Sed personam in se transfiguraverat primi hominis. Scimus, dicente Apostolo : « Quia vetus homo nos » ter confixus est cruci cum illo¹. » Non autem careremus vetustate, nisi crucifigeretur in infirmitate. Ad hoc enim venit, ut renovemur in illo : quia desiderando eum et passionem ejus imitando renovamur. Ergo vox erat infirmitatis, vox erat nostra, qua dictum est : « Quare me dereliquisti? » Inde ibi dictum est : « Verba delictorum » meorum² : » tanquam diceret : Hæc verba ex persona peccatoris in me transfigurata sunt. « Ne discesseris a me. »

XXVIII. « Intende in adjutorium meum, Domine salutis meæ³. » Ipsa est salus, fratres, de qua salute exquisierunt Prophetæ, sicut dicit apostolus Petrus : et non acceperunt qui exquisierunt⁴; sed inquisierunt, et prænuntiaverunt, et venimus nos, et invenimus quod illi exquisierunt. Et ecce nos nondum accepimus; et nascuntur post nos, et invenient quod nec ipsi accipient, et transient : ut omnes simul in fine diei cum Patriarchis, et Prophetis, et Apostolis denarium salutis accipiamus. Etenim nostis mercenarios vel operarios diversis temporibus ductos ad vineam, mercedem tamen pariter acceperunt⁵. Et Prophetæ ergo, et Apostoli, et Martyres, et nos, et qui post nos erunt usque in finem sæculi, in ipso fine accepturi sumus salutem sempiternam, ut contemplantes gloriam Dei, et ejus faciem intuentes, eum laudemus in æternum, sine defectu, sine aliqua pœna iniquitatis, sine aliqua perversitate peccati, laudantes Deum, et non jam

¹ Rom. vi, 6. — ² Psal. xxi, 2. — ³ Id. xxxvii, 23. — ⁴ 1 Petr. i, 10-12. — ⁵ Matth. xx, 9.

suspirantes, sed inhærentes illi, cui usque in finem suspiravimus, et in spe lætati sumus. In illa enim civitate erimus, ubi bonum nostrum Deus est, lumen Deus est, panis Deus est, vita Deus est : quidquid est bonum nostrum, a quo peregrinantes laboramus, in illo inveniemus. In illo erit quies, quam modo recordantes necesse est ut doleamus. Illud enim sabbatum recordamur, in cujus recordatione tanta dicta sunt, et nos tanta dicere debemus, et dicentes nunquam tacere, non ore, sed corde : quia sic ore tacemus, ut corde clamare possimus.

ENARRATIO I

IN PSALMUM XXXVIII.

SERM. I. (8)

I. PsALMI hujus², quem modo cantavimus, et tractandum suscepimus, titulus est : « In finem pro Idithun, » Canticum ipsi David³. » Cujusdam ergo, qui vocatur Idithun, voces expectandæ et audiendæ sunt : et si esse unusquisque nostrum potuerit Idithun, in eo quod cantat invenit se, et audit se. Videris enim quis vocatus fuerit Idithun secundum hominum priscam nativitatem : nos autem audiamus quid interpretetur hoc nomen, et in ipsa interpretatione nominis quæramus intelligentiam veritatis. Sicut ergo inquirentes reperire potuimus in eis nominibus, quæ nobis a studiosis Litterarum divinarum ex hebræo eloquio in latinum interpretata sunt, Idithun in-

¹ Sermo habitus Carthagine ad mensam S. Cypriani. — ² Vide D. Guillon, tom. xxi, pag. 463-464. — ³ Psal. xxxviii, 1.

terpretatur : Transiliens eos. Quis est ergo iste transiliens? vel quos transilivit? quia : Transiliens, non nude positum est ; sed : Transiliens eos. Transiliendo enim cantat, an cantando transilit? Sive transiliendo cantet, sive cantando transiliat, transilientis tamen Canticum paulo ante cantavimus : utrum et nos simus transilientes, viderit Deus cui cantavimus. Sed si quis transiliens cantavit, gaudeat se esse quod cantavit : si quis autem terræ adhuc inhærens cantavit, optet esse quod cantavit. Quosdam enim inhærentes humo curvatos in terram, ea quæ ima sunt cogitantes, in rebus transeuntibus spem ponentes, transilivit iste qui vocatur Transiliens eos. Quos enim transilivit, nisi remanentes?

II. nostis quosdam Psalmos inscribi Canticum graduum : et ibi quidem in græca lingua satis evidens est, quid dicat ἀναβαθμῶν. Anabathmi enim gradus sunt, sed ascendentium, non descendentium. Latinus quia non potuit proprie dicere, generaliter dixit : et quoniam gradus appellavit, ambiguum reliquit utrum ascendentium essent, an descendentium. Sed quia « non sunt loquelæ neque sermones, quorum non » audiantur voces eorum¹, » exponit sequentem lingua præcedens ; et fit certum in alia, quod ambiguum erat in alia. Quomodo ergo ibi ascendens quidam cantat, sic et hic transiliens. Est autem hæc ascensio et ista transilitio, non pedibus, non scalis, non pennis ; et tamen si interiorem hominem attendas, et pedibus, scalis, et pennis. Nam si non pedibus, quomodo dicit homo interior, « Non » veniat mihi pes superbiæ²? » Si non scalis, quid sunt quas vidit Jacob, ubi erant ascendentes Angeli et descendentibus³? Si non pennis, quis est qui dicit : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam⁴? » Sed in rebus corporalibus aliud sunt pedes,

¹ Psal. XVIII, 4. — ² Id. XXXV, 12. — ³ Gen. XXVIII, 12. — ⁴ Psal. LIV, 7.

aliud scalæ, aliud pennæ. Intus autem et pedes, et scalæ, et pennæ affectus sunt bonæ voluntatis. His ambulemus, his ascendamus, his volemus. Cum ergo audit quisque transilientem hunc, et imitari eligit, non quærat levitate corporis transilire fossas, aut aliqua altiuscula prævolare saliendo : sed quod ad corpora attinet dico : nam fossas etiam transilit. « Succensa igni et effossa, quæ ab increpatione vultus tui peribunt¹. » Quæ sunt enim succensa igni et effossa, quæ ab increpatione Domini peribunt, nisi peccata? Succensa igni sunt, quæ facit male ardens cupiditas : et effossa sunt, quæ facit male jacens timiditas. Hinc enim peccata omnia, aut cupiendo, aut timendo. Transiliat ergo iste omnia quibus teneri posset in terra : erigat scalas suas, exerat pennas suas, videat utrum quisquam agnoscat hic se : imovero in Domini gratia multi se agnoscunt, qui forte jam vilem habentes mundum, et omnia quæ delectant in mundo, eligunt recte vivere, dum hic vivunt in gaudiis quibusdam spiritualibus. Et hæc unde erunt adhuc ambulantes super terram, nisi ex divinis Eloquiis, ex verbo Dei, ex parabola aliqua Scripturarum scrutata et investigata, ex dulcedine inventionis, quam præcessit labor inquisitionis? Sunt quædam deliciae, sanctæ et bonæ in libris. Neque enim sunt in auro et argento, in epulis atque luxuria, in venatibus et piscatibus, in ludo et joco, in theatricis nugis, in affectandis et apprehendendis ruinosis honoribus ; neque enim vera sunt gaudia in his omnibus, et in his libris nulla sunt : imovero anima illa ima transiliens, et in his delectata dicat, quia verum dicit et secunda dicit : « Narraverunt mihi injusti delectationes, sed » non sicut lex tua, Domine². » Veniat adhuc iste Idithun, transiliat eos qui delectantur imis, et delectetur in his, et gaudeat in verbo Domini, in delectatione legis

¹ Psal. LXXIX, 17. — ² Id. CXVIII, 86.

Altissimi. Sed quid dicimus? Et hinc transiliendum est in aliud? An huc usque habet quo transiliat qui transilire desiderat? Voces potius ejus audiamus. Jam enim iste transiliens videtur mihi quod habitabat in eloquiis Dei, et ibi didicit hæc, quæ audituri sumus.

III. « Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam » in lingua mea¹. » Credas quod legendo, disserendo, prædicando, monendo, objurgando, hortando, cum versaretur in opere, cum exerceretur in difficultatibus quibusdam humanis, homo agens inter homines, quamvis jam transiliens eos, qui non delectantur his, quia difficile est, ut quisque lingua non labatur et peccet, « Et qui lingua » non peccavit, ut scriptum est, hic perfectus est vir². » aliqua forte poenitenda dixerat, et lapsa erant ab ore quæ vellet revocare, nec posset. Non enim lingua frustra in udo est, nisi quia facile labitur. Videns ergo quam esset difficile, ut necessitatem loquendi haberet homo, et in loquendo non aliquid diceret, quod se dixisse nollet; et tædio affectus ex his peccatis, quæsiuit evitare talia. Patitur hanc difficultatem transiliens. Non me judicet, qui nondum est transiliens: transiliat, et experiatur quod loquor: tunc enim erit et testis et filius veritatis. Cum ergo hæc ei contigissent, statuerat non loqui, ne aliquid diceret quod locutum se esse poeniteret. Hoc indicant prima verba ejus, « Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam » in lingua mea. » Custodi ergo vias tuas, o Idithun, et noli delinquere in lingua tua: perpende quod dicturus es, examina, consule interiorem veritatem: et sic profer ad exteriorem auditorem. Quæris ista plerumque in perturbatione rerum, in occupatione animorum, dum ipsa infirmitas animæ, quam aggravat corpus quod corrumpitur, et audire vult et dicere, audire intus, dicere foris, ali-

¹ Psal. xxxviii, 2. — ² Jacob. iii, 2.

quando pertubata studio dicendi, deficit indiligentia agnoscendi; et in his dicit aliquid quod forte non esset dicendum. Contra hæc remedium melius est silentium. Stat enim peccator, propria quadam nota peccator, superbus quisquam et invidus; audi loquentem transilientem, captat verba, proponit laqueos; difficile est ut non inveniatur aliquid non ita dictum, ut dici debuisset: nec audiendo ignoscit, sed calumniatur invidendo. Contra hos iste Idithun transiliens eos silere delegerat, unde ita cantavit: « Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam » in lingua mea. » Quamvis transilierim delectationes terrenas, quamvis non me capiant temporalium rerum volatici affectus, quamvis jam hæc ima despiciam, et ad meliora consurgam; in ipsis tamen melioribus sufficit mihi delectatio intelligentiæ coram Deo: quid mihi opus est captanda loqui, et dare aditum calumniantibus. « Dixi ergo: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam. » Hoc quare? Propter pios, propter studiosos, propter fideles et sanctos? absit. Illi sic audiunt, ut quod probant laudent: quod autem improbant inter multa forte quæ laudant, veniam dent potius quam calumniam parent. Propter quos ergo vis custodire vias tuas, ut non delinquas in lingua tua, et ponis ori tuo custodiam? Audi, « Dum consistit adversum me peccator. » Non consistit ad me, sed « Consistit adversum me. » Quid dicturus postremo, unde satisfaciam? Carnali de spiritalibus loquor, foris videnti et audienti, intus surdo et cæco. Animalis enim homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei¹. Nisi autem animalis inveniretur, quando calumniaretur?

¹ I Cor. ii, 14.

« Beatus qui narrat verbum auri audienti¹, » non auri peccatoris astantis aduersum se. Tales enim multi circumstabant et circumfremebant, « Quando ille velut ovis ad » immolandum ductus est, et sicut agnus coram tondente » sine voce, sic non aperuit os suum². » Quid enim dicas turgidis, turbidis, calumniosis, litigiosis, verbosis? Quid dicas sanctum et pium, et de religione transiliens eos: quando ipsis libenter audientibus, discere cupientibus, veritatis cibo inhiantibus, auide accipientibus, et Dominus ait: « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis » illa portare modo³? » Et Apostolus, « Non potui vobis » loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: « non tamen desperandis, sed nutriendis. Sequitur enim, « Tan- » quam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non » escam, nondum enim poteratis. » Ergo vel nunc dic. « Sed neque adhuc quidem potestis⁴. » Noli ergo festinare audire quod non capis, sed cresce ut capias. Sic parvulum alloquimur, in sinu matris Ecclesie pio lacte nutriendum et ad escam mensae Dominicæ idoneum faciendum. Quid autem vel tale dicam peccatori astanti aduersum me, idoneum se putanti aut fingenti, ad ea quæ non capit: ut cum ei dixerò, et ille non ceperit, non se putet non cepisse, sed me defecisse? Ergo propter hunc peccatorem astantem aduersum me, « Posui ori meo cus- » todiam. »

IV. Et quid secutum est? « Obsurdui, et humiliatus » sum, et silui a bonis⁵. » Patitur enim difficultatem iste transiliens in quodam gradu, quo jam transiuit; et quærit et inde transilire, ad vitandam hanc difficultatem. Peccare metuebam, ut non loquerer, ut silentium mihi imponerem; hoc enim dixeram, « Custodiam vias meas, ut non

¹ Eccli. xxv, 12. — ² Isaï. lxx, 7. — ³ Joan. xvi, 12. — ⁴ I Cor. iii, 1, 2. — ⁵ Psal. xxxviii, 3.

» delinquam in lingua mea: » et dum timeo loqui ne peccem, « Obsurdui et humiliatus sum, et silui a bonis. » Dum nimis timeo ne loquar aliqua mala, tacui omnia bona: « Obsurdui, et humiliatus sum, et silui a bonis. » Unde enim dicebam bona, nisi quia audiebam? « Auditui » enim meo dabis exultationem et lætitiã¹. » Et amicus sponsi stat, et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem, non suam, sed sponsi². Ut vera dicat, audit quæ dicat. Nam qui loquitur mendacium, de suo loquitur³. Quiddam ergo triste et molestum passus est iste; et hac sua confessione id quod passus est, cavendum admonet, non imitandum. Timendo enim nimis, ut dixi, ne diceret aliqua non bona, statuit sibi nulla dicere vel bona: et quoniam statuit tacere, cœpit non audire. Stas enim si transiliens es, expectas a Deo audire quid dicas hominibus: inter divitem Deum, et inopem quærentem quid audiat, intercurris transiliens, qui possis et hinc audire, et hac dicere: si eligis hac non dicere, non mereberis hinc audire: contemnis pauperem, contemneris a divite. Oblitus es servum te esse, quem constituit Dominus super familiam suam dare conservis cibaria⁴? Quid ergo quæris accipere, quod piger es erogare? Merito ergo quoniam quod acceperas dicere noluisti, impedis ne accipias quod accipere cupiebas. Aliquid enim volebas, aliquid habebas: da quod habes, ut merearis accipere quod non habes. Ergo cum quasi posuissem ori meo custodiam, mihi que indixissem silentium, quia videbam ubique periculosum eloquium, factum est, inquit, in me quod nolebam; « Obsurdui, et humiliatus sum: » non me humiliavi: sed, « Humiliatus sum. Obsurdui, et humiliatus sum, et silui a bonis. » Cœpi non dicere bona, cum timeo ne dicam aliqua mala: et reprehendi con-

¹ Psal. l, 10. — ² Joan. iii, 29. — ³ Joan. viii, 44. — ⁴ Matth. xxv, 45.

silium meum. Silui enim a bonis. Et dolor meus « renovatus est. » A dolore quippe quodam, quem mihi inflixerant calumniatores et reprehensores, tanquam requieveram in silentio, et cessaverat dolor ille qui factus erat a calumniantibus: sed ubi silui a bonis, renovatus est dolor meus. Cœpi plus dolere tacuisse me quæ dicere deberem, quam dolueram dixisse quæ dicere non deberem. « Renovatus est dolor meus. »

V. «¹ Et in meditatione mea exardescet ignis². » Cœpit esse inquietum cor meum. Videbam insensatos, et tabescebam³, non arguebam: et me sic tacentem zelus domus tuæ comedebat⁴. Respexi enim ad Dominum meum dicentem, « Serve nequam et piger, dares pecuniam meam » nummulariis, et ego veniens cum usuris exigerem. » Et quod sequitur, avertat Deus a dispensatoribus suis, « Projiciatur in tenebras exteriores » ligatis manibus et pedibus, servus, non eversor ad perdendum, sed piger ad erogandum⁵. Quid expectare debent, qui cum luxuria consumpserunt, si damnantur qui cum pigritia servaverunt? « In meditatione mea exardescet ignis. » Et positus in hac fluctuatione dicendi et tacendi, inter eos qui calumniari parati sunt, et eos qui affectant instrui, inter abundantes et inopes; factus opprobrium his qui abundabant, et despectio superbis⁶, respiciens eos beatos qui esuriunt et sitiunt justitiam⁷; laborans in utroque, afflictus in utroque; periclitans ne projiciat margaritas ante porcos, periclitans ne non eroget cibaria conservis: in hoc æstu quæsitivum alium meliorem locum ab hac dispensatione, in qua sic laborat homo et periclitatur; et suspirans in finem quemdam, ubi ista non erat passurus, in illum, inquam, finem quo dicturus est

¹ Silentio præterit verba illa vers. 4. *Concaluit cor meum intra me.* — ² Psal. xxxviii, 3. — ³ Id. cxviii, 158. — ⁴ Id. lxxviii, 10. — ⁵ Matth. xxv, 26, 27 et 30. — ⁶ Psal. cxxii, 4. — ⁷ Matth. v, 6.

bono erogatori Dominus, « Intra in gaudium Domini tui¹: » « Locutus sum, inquit, in lingua mea². » Inter æstus, inter pericula hæc, inter difficultates, quia ita delectat lex Domini, ut tamen propter abundantiam scandalorum refrigescat charitas multorum³: inter hos ergo æstus, « Locutus sum, inquit, in lingua mea. » Cui? Non auditori quem volo erudire, sed exauditori a quo volo erudiri. « Locutus sum in lingua mea, » illi a quo intus audio, si quod bonum, si quod verum audio. Quid locutus es? « Notum, inquit, mihi fac, Domine, finem » meum. » Transilivi enim quædam, et veni ad quædam, et ea in quæ veni meliora sunt eis a quibus transilivi: sed restat adhuc quod transiliendum sit. Non enim hic remanebimus, ubi tentationes, ubi scandala, ubi auditores et calumniatores patimur. « Finem meum notum mihi fac: » finem qui mihi deest, non cursum qui mihi adest.

VI. Finem illum dicit, quem currens intuebatur Apostolus, et de sua imperfectione confitebatur, aliud in se intuens, aliud alibi quærens. Ait enim: « Non quia jam » acceperim, aut jam perfectus sim, fratres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse⁴. » Et ne diceres, Si non apprehendi? Apostolus, ego apprehendi? si perfectus non est Apostolus, ego perfectus sum? vide quid agat, attende quid dicat. Quid ergo agis, Apostole? Nondum apprehendisti, nondum perfectus es? Quid agis? ad quam actionem me hortaris? quid mihi imitandum sequendumque proponis? « Unum autem, inquit, quæ retro sunt » oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in » Christo Jesu⁵: secundum intentionem, nondum secundum perventionem, nondum secundum apprehen-

¹ Matth. v, 21. — ² Psal. xxxviii, 5. — ³ Matth. xxiv, 12. — ⁴ Philip. iii, 12, 13. — ⁵ Ibid. 14.

sionem. Non relabamur unde jam transilivimus, nec remaneamus in illis in quæ jam venimus. Curramus, intendamus, in via sumus: nec tam sis securus ex eis quæ transisti, quam sollicitus pro eis ad quæ nondum pervenisti. « Quæ retro, inquit, oblitus in ea quæ ante sunt » extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. » Ipse est enim finis. Unum autem, hoc est illud unum, « Domine, ostende » nobis Patrem, et sufficit nobis¹. » Unum autem, quæ et una dicitur in alio Psalmo, « Unam petii a Domino, » hanc requiram. Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt » extentus. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut » inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. » Propter quid? « Ut contempler delectationem Domini². » Ibi enim gaudebo de socio, non timebo de adversario: ibi enim contemplator mecum erit amicus, non calumniator inimicus. Hoc desideravit iste Idithun, notum fieri sibi cum hic esset, ut sciret quid sibi deesset; et non tam gauderet de his ad quæ pervenerat, quam desideraret ea ad quæ nondum pervenerat; et quibusdam jam transilitis, non remaneret in via, sed desiderio raperetur in superna; usquequo ille qui quædam transilierat, omnia transiliret, et ab irroratione quadam guttarum dominicarum de Scripturarum nube venientium, veniret sicut cervus ad fontem vitæ³, et in illo lumine videret lumen⁴, et absconderetur in vultu Dei a conturbatione hominum⁵: ubi diceret, Bene est, ultra nihil volo, omnes hic amo, neminem hic timeo. Bonum desiderium, sanctum desiderium. Qui jam hoc habetis, congaudete nobis; et orate ut perseveranter habeamus, ne interscandala deficiamus. Nam et nos pro vobis hoc idem rogamus. Non enim nos digni qui pro vo-

¹ Joan. xiv, 9. — ² Psal. xxvi, 4. — ³ Id. xli, 2. — ⁴ Id. xxxv, 10. — ⁵ Id. xxx, 21.

bis oremus, et vos indigni qui pro nobis oretis. Auditoribus suis quibus prædicabat verbum Dei, se commendabat Apostolus¹. Orate ergo pro nobis, fratres, ut et quod videndum est bene videamus, et quod dicendum est bene dicamus. Cæterum hoc desiderium, novi, in paucis est: nec me optime intelligunt, nisi qui gustaverint unde loquor. Loquimur tamen omnibus, et habentibus tale desiderium, et nondum habentibus: habentibus ut nobiscum in illa suspirent; non habentibus, ut pigritiam excutiant, ima transiliant, ad dulcedinem legis Dominicæ veniant, non in delectationibus iniquorum remaneant. Narrant enim multa multi, et laudant multa multi, iniqua iniqui. Et revera et illa iniqua habent delectationem, sed non sicut lex tua, Domine². Dicant ergo nobiscum qui credunt hæc dicere et nos. Negotium enim hoc intus est, nullis verbis ostendi potest. Sed qui hoc agit, credat esse et in alio: non solum se putet accepisse quod Dei est. Dicat ergo in his Idithun, « Notum fac mihi, Domine, finem » meum. »

VII. « Et numerum dierum meorum qui est³. » Numerum dierum quæro qui est. Sic possum dicere, sic possum intelligere numerum sine numero, quomodo possunt dici anni sine annis. Ubi enim anni, utique quasi numerus; sed tamen, « Tu idem ipse es, et anni tui non deficient⁴. » Numerum dierum meorum mihi notum fac, sed qui est. Quid ergo? Iste numerus in quo tu es, non est? Plane, si attendam bene, non est: si hæream, quasi est; si transiliam, non est: si ab istis me excutiens superna contempler, si transeuntia manentibus comparem, video quid verum sit: quid autem magis videatur esse, quam sit? Dicturus-ne sum esse istos dies meos? Hos, inquam, dies esse dicturus sum; et tam magnum hoc ver-

¹ Coloss. iv, 3. — ² Psal. cxviii, 85. — ³ Id. xxxviii, 5. — ⁴ Id. ci, 28.